

Novientensis insulae demonstravimus, vel etiam a quibus vel quo tempore ad monasterialis ceu coenobialis vitae ordinem, ut hactenus Deo largiente cernitur, transierit, indagare curemus. Temporibus siquidem Diocletiani et Maximiani imperatorum cum dominus noster Iesus Christus aream suam, sanctam videlicet ecclesiam, purgaturus ventilabrum examinationis vel correptionis (f. 421) in manibus ferret, ac¹ membra sua in sanctis martyribus ad se transferre decrevisset, officinam ipsius scrutinii quatuor membris diaboli, Diocletiano scilicet et Maximiano imperatoribus et Attilae regi Ungarorum et Amelungo regi Hunnorum permisit. Imperatores in urbe Romana et in omni imperio christianos persequuntur et opprimunt. Attila vero congregata innumera multitudo sicut arena maris, Avarorum videlicet et Chunorum seu Bavarorum, Thracum et Danorum, Sclavorum, Palanorum et Boemiorum², quos omnes superatos Romano imperio extorres fecerat, cum³ his omnibus Aquilegiam metropolim Charenti obse-
dit. Cumque cives de evasione diffiderent, cum auro et argento aliisque preciosissimis opibus clam per paludes civitati contiguas fugientes, ossa etiam sancti Marci evangelistae secum ferentes insulam quandam maris ingressi civitatem inibi⁴ construxerunt ipsamque Venetiam, id est venustam, vocaverunt. Attila vero destructa Aquilegia ad Rhenum comitatum dirigit, transitoque eo pagum Alsatiensem et omnem Germaniam et Galliam depopulatus est. Ad cuius adventum qui in praedicta insula Noviento commanebant, relictis omnibus fugerunt et desolatum locum reliquerunt. Cumque Dominus flagellum suum a sancta⁵ ecclesia remove-
re decrevisset, senatus et populus Romanus Diocletianum purpura exutum imperio et omni honore privarunt; Maximianus vero ab exercitu, quem in Galliam duxerat, pro piaculo, quod in sanctam legionem Thebaeorum exercuerat, tanto odio est habitus, ut vix cum parva manu militum ad Constantinum, qui tunc imperium susceperat, profugus veniret. Cumque ipsi, a quo benigne susceptus fuerat, fraudulentem mortem conaretur inferre, apud Massiliam in hac (f. 421^b) conspiratione deprehensus ac strangulatus est impiamque vitam digna morte finivit. Attila itaque, ut praediximus, omnem Galliam exterminando usque ad Pyrenaeos montes devenit. Cumque inibi irruentibus super eum Gothis et Wasconibus ac Britannis maximum dispendium suorum pertulisset, reversus Torsimodo regi Gothorum bellum inferre tentabat. Tribus⁶ itaque diebus utraeque phalanges contra se dimicantes multam stragem utriusque populi dederunt. Cumque nocte dirempti fuissent, Agetius patricius

1) 'ne' Hs.

2) 'Boennorum' Hs.

3) 'et cum' Hs.

4) 'mihī' Hs.

5) 'santa' Hs.

6) Das Folgende aus Fredegar II, 53, SS. Merov. II. 74.